



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Decennium Apostolicum S. Francisci Xaverii Indiarum II.
Japoniarum I. Apostoli**

Nevhsii

Ad B. Virginem Mariam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37272

*Actus Contritionis, quem S. Franciscus Xaverius
docebat in Catechismis, & frequentandum
ajebat.*

AMo Te, mi Deus, super omnia, ex toto corde
meo. Pœnitet me, quod te offenderim; cùm
sis, qui es omni laude, veneratione, obsequio dignissi-
mus. Propter summum amorem, quem Tibi de-
beo, & quia Te longè pluris, quam quidvis (qua-
ntumlibet magnum) aestimo; firmissime statuo, nun-
quam me acturum, quod offendere possit Tuam di-
vinam voluntatem, & me in periculum conjiciat ex-
cidendi à Tua sancta gratia. Amen. *Lib. 2 Nov. Ep. 1.*

Oratio Sancti pro conversione peccatoris.

TEgo Iesu Christe, Deus cordis mei, per acer-
bissimos tuae necis cruciatus obsecro obtestor-
que, ut intuearis ipse tuas cicatrices, quas æterno
Patri assidue pro nobis ostentas, easq; salubres etiam
misero illi esse velis, ut resipiscat. *Tursel. l. 5. c. 6.*

Ad B. Virginem MARIAM.

ODomina mea, S. MARIA, Spes Christianorum
Regina Angelorum, omniumque Sanctorum
atque Sanctorum; Tibi & istis omnibus Domina,
commendo me nunc pro hora mortis meæ: ut me
custodias à mundo, carne & dæmonie, qui sunt inimici
mei, eonanturq; animam meam rapere in infernum.

Oro &

Oro & obsecro te, Domina mea S. M A R I A S
 intercede pro me apud tuum benedictum Filium
 J E S U M Christum; & impetra, ut mihi det hodie
 ac toto tempore vitae meae gratiam perfecte obser-
 vandi decem præcepta. Lib. i. Nov. Ep. 2.

Ad Angelum Custodem.

Rogo te, Angele mi' benedicte, cuius providen-
 tiæ sum commissus, ut semper mihi adfis ope tuâ.
 Perfer ad benignas Dei aures preces meas : ut mihi
 det veram con; ritionem de omnibus peccatis meis,
 & gratiam ad bene operandum perseveranter. Aspel-
 le à me tentationes Satanæ, ne patere, ut in me locum
 habeat ullum, ulla mistura malitiæ. Si quando me vi-
 des in itinere deerrare, reduc mē ad dominum meum
 per seinitas justitiæ : & afflito impetra præsens à
 Deo auxilium. Ne me unquam desere ; sed juva, re-
 ge, defende pugnantem : ut ope tua protegar die ac
 nocte. Rogo etiam ô Angele mi' Custos, ne me de-
 seras in agone supremo; neque sinas me terreri à dæ-
 mone, vel in desperationem agi præcipitem : sed ju-
 va, ut perveniam ad felicem visionem dei domini no-
 stri ; ubi illo fruar unâ tecum, ac unâ cum Beatissima
 & felicissima Virgine Maria, Matre dei, & unâ
 cum Sanctis omnibus. *Msf. S. Xav. Goæ servata.*

F I N I S.